

1395.

~~XXXV.~~ 12

I. N. J.
DISPUTATIO
THEOLOGICO-PRACTICA

De

E X I L I O ,

Qvam
proprio Marte elaboratam
SUB PRÆSIDIO

VIRI

Summè, Reverendi, Amplissimi, Excellentissimi

DN. JOHANNIS *Deutschmann* /

SS. Theol. D. Consummatissimi ejusdemq; P. P. Ordini
narii Celeberrimi Alumn. Elector. Ephori
gravissimi

*Dn. Patroni Præceptoris & studiorum suorum Promoto-
ris maximi omniq; cultu honoris prosequendi in Academia
Vittebergensi*


publico examini submittit

GEORGIUS *Krüger* /

Liberosa Lusatus

In Auditorio Majori

ad d. Augusti 1674.



Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



VIRIS
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSI-
MIS, PRUDENTISSIMIS

DNN.

CONSULIBUS
SYNDICO
CAMERARIIS
PRÆTORIBUS
& Reliquis Senatoriæ ordinis

in

Florentissimâ Republicâ

quæ est

TORGÆ

*Dominis Meccænatibus, Promotoribus, Fautoribus suis
multum Colendis*

Hancce suam disputationem eâ, quâ par est, devo-
tione offert, seseque eâdem summæ eorundem Affectioni in ul-
teriore studiorum suorum promotionem insinuare studet,
quod ut sibi benevolo animo concedant, vehementer petit

Autor & Respondens

GEORGIUS Krüger /

qui ob Syncretismum è Marchiâ e-
gressus, ubi R. S. St. erat jam inter
Saxones promotionem quærens.



SECTIO ONOMATOLOGICA.

§. 1.

D *Exilio* breviter, & rudi, quod ajunt, Minervâ pro conditione temporis acturi considera-
 mus initiò ejusdem *Paronymiam, Synonymiam, & Homonymiam*; *Exilium* & ejusdem concretum *exul* derivatur communiter ab *exulando*, quod est quasi extra solum (proprium nimirum & patrium s. quasi patrium), esse atq; ver-
 lari s. è solo s. a. ejectum esse. Ubi tamen, si τὸ ejectum in ri-
 gore accipiatur, ut ingerat ab hominibus expulsus, adjectio-
 nem minimè probare possumus, cùm ejusmodi derivatio *exilio* nec quoad *Grammaticam*, nec quoad *Politicam*, nec quoad *Theo-
 logicam* significationem sit ad æqvata. Atq; *multa exilia* dantur, utpote Christi, ejusdemq; Matris Mariæ in Ægypto, Abrahami, Davidis &c. quæ non speciali aliquo expresso mandato humano vel etiam humanæ coactionis vinculo contigerunt. Et quis af-
 firmabit, omnes ex Bohemiâ, Hungariâ, Silesiâq; emigrantes ex-
 ules vi atq; singulari eodemq; immediatò mandato ejectos esse Hinc nominalis magis adæqvata videtur derivatio illorum, qui *exilium ab exsiliendo* volunt derivari, vid. Becmann. orig. Lat. Ling.

§. 2. *Synonyma* concreta Latinis sunt *deportatus, relegatus, fugiens* &c. Quamvis enim formaliter hæc differant; materiali-
 ter tamen inter se convenire dicuntur. Nam, teste *Ulpiano*, *deportatus* talis propriè *exul*, cui aqua & ignis interdicebatur, ad perpetuum exilium in insulam deportatus, tanquam pœnâ capi-
 tali dignus, & mediâ diminutione capitis (ut *Jcti* loqvuntur) mul-
 tatus; *relegatus* autem ille, qui ad tempus in *exilium* mittebatur: fuga illius certò loco circumscribebatur bonaqve ejusdem fisco vendicabantur; hic verò etsi solum mutaverit, suis perfrueba-
 tur bonis. Deportatio autem & relegatio ab exilio differunt ut causæ ab affectu. *Synonyma* Græca sunt in abstracto *Φυγή* s.

A 2

Φυγία



Φυγία fuga : concreta Φυγὰς fugiens ἐξορισμός exterminatus ἀπολις patriâ s. certò loco carens. Hebræis מלחא s. מלחא migratio exilium, & נד h. e. vagatio : illud de d^eportatione Israelitarum in captivitatem sæpissimè usurpatur ; hoc verò de Caini exilio Gen. IV. v. 12. 16. & Davidis fuga Ps. 56. v. 9. adhibetur. Germanus dicit das Elend / ins Elend vertreiben / ein Verjagter oder Vertriebener. Hinc vulgus sibi persvasit, eum tantùm esse exulem, qui vi aut mandato aliquo humano eodemqve externo expulsus; quod quàm falsum sit sequentia docebunt. Si n. modò vocum apices numerare amamus, mirabiles exules habebimus: alios in hac, alios in alia lingua: alios eisdemqve diversos in hâc, alios inter alias gentes.

§. 3. *Homonymiam* considerando videmus, *exilium* & *exul* variè accipi, cum in *Theologiâ*, tum in *Politia*. In *Theologia* accipiuntur partim *propriè*, partim *impropriè*. *Impropriè* usurpatur l. pro *spirituali* s. *interna* l. pro *corporali* s. *externo* eodemqve communi *exilio*; illud est *regeneratorum*; hoc verò *omnium lapsorum*. *Spirituale exilium* regeneratorum illud est, de quo Eucherius l. II. c. 13. *Eximus de terra nostra, quando divitias mundi, facultatesq; contemnimus: de cognatione nostrâ i. e. vitiis prioribus quæ nobis à nativitate quadam velut affinitate & consanguinitate conjuncta sunt, & de domo Patris nostri h. e. de omni memoriâ mundi hujus, quæ oculorum occurrit obtutibus*. Quoad *corporale* autè *lapsorum exiliû* sumitur communiter pro *statu omnium hominum in hoc mundo, quò è paradiso primæ creationis & habitationis domicilio ejecti hîc quasi exulant*, variisqve incommodis affliguntur *omnes homines*. Profitetur id ipsum de se Rex David quâdo dicit: *Domine, sum tuus & נד (peregrinus) & נדבא (incola)* sicut omnes Patres mei Ps. 39. v. 14. Respexit forsitan ad illud Patriarchæ Jacob, *dies, dicentis, peregrinationis meæ sunt centum & triginta annorum. Pauci atq; mali, sunt dies per omnem vitam meam, nec respondent tempori meorum Patrum in suis peregrinationibus*. Gen. 47. 9. 10. Ubi eleganter Dominus Lutherus noster in Genes. ad l. c. annotavit dicens: *Das sind Worte des Geistes und des Glaubens/der auff ein ander Leben gedencet (Ebr. II, 8. 9. 10.) denn er wil das armselige Leben/so voller Creuz und Jammer*

mer

mer isti/nicht einmal würdig achten/das er ein Leben nennete; son-
dern er nennets eine Walfart/ oder einen betrübten Wandel. Eò
etiam respexit D. Paulus, dum cœlum patriam, hanc vitam au-
tem peregrinationem dicit 2. Cor. 5. atq; affirmat πολύτευμα no-
strum in cœlo esse ad Philip. 3. v. 20. *Propriè autem Theologo e-
xul est, qvi amore religionis tam qvoad scholasticum, qvàm Ec-
clesiasticum munus officio vel possessionibus & exercitio religio-
nis privatus aliò emigrare necessum habet atqve inter homines
præcipuè fideles peregrinatur.*

§. 4. In externâ Politiâ autem variâ significatione hæ vo-
ces exercentur. Sumuntur primò *strictius*, & quidem vel in
foro Romano pro *relegatis*, aut *deportatis*, de quibus supra di-
ctum, vel in foro Græco pro ostracismo & iis, qvi per testulas ci-
vitate ejecti emigrare atq; aliò *exulare* jubebantur; de quibus
Cornel. Nep. in vitis Atheniensium multa disserit. Secundò su-
muntur etiam *latius & adæquatus profugâ, emigratione, & pere-
grinatione*, de quâ Cicero in Aul. Cean.: *Exilium non est supplici-
um; sed profugium portusq; supplicii. Nam qvi volunt pœnam ali-
quam subterfugere aut calamitatem, eò solum vertunt h. e. sedem &
locum mutant.* Itaq; in nullâ nostrâ lege reperietur apud ceteras ci-
vitates maleficium ullum exiliò esse multatum; sed qvum homines
vincula, neces, ignominias vitent, quæ sunt legibus constitutæ, confu-
giunt quasi ad arma in exilium, qvi si in civitate legis vim subire vel-
lent, non priùs civitatem, quàm vitam amitterent. Et Seneca de
consol.: *Exilium loci mutatio est. Hanc loci mutationem sequun-
tur incommoda multa. paupertas, ignominia, contemptus &c.* Cice-
ro rursus l. 5. Tuscul. qq. *Jam verò exilium si rerum naturam, non
ignominiam nominis qvarimus, quantum demum à perpetuâ pere-
grinatione differt.*

SECTIO PRAGMATOLOGICA.

§. 1. Acturi de exule s. exilio, sed in propria atqve
adæquata significatione acceptò tractamus illud *secundum qua-
tuor causarum genera*, quæ secundum communem sententiam Me-
taphysicorum ut aliarum rerum, ita & hîc quatuor recensentur:
binæ nimirum externæ, binæq; internæ. Internæ sunt *materia* atq;
forma; externæ vero *causa efficiens* atq; *finalis.*

A 3

§. 2.



§. 2. Quando itaq; quæritur, quænam sit *materia exiliorum*? respondemus, eam compositionis s. ex qua hîc non dari; *materia autem in qua* s. subjectum, in quod forma exiliorum est introducenda, est *homo*. *Homo a.* est vel *privatus* vel *publicus* conditionis. Hinc distinctio resultat in *exulem privatum* atq; *publicum*. *Privatus exul* ille est, qui loci mutationem necessario suscipere atq; emigrare coactus est bello, fame, defectu exercitii religionis publici aliisque causis compulsus; *Publicus autem est*, qui officio suo *publico* orbatus *alibi exulat* s. peregrinatur. Notanter autem dico *orbatus*, quia nec illi honesto *exilii titulo* videtur dedignari, qui spontaneo eodemq; bono motu emigrare incessem habuerunt, quales sunt, qui à Pontificiis, Reformatis a. Syncretistis convertendi a. revocantes *exsiliunt* & ad castra orthodoxæ Ecclesiæ propter conscientiæ quandam necessitatem redeunt. Respectu hujus Subjecti *exilium* qq. aliud est *personæ Ecclesiasticæ* s. *Scholasticæ*, aliud *personæ Politicæ*: illa est studiosus *Theologia*; hæc verò *Politica* s. *curiæ*. Interdum tamen utraq; forma concurrit, quales sunt S. Patriarchæ in V. T. Huc pertinere qq. videtur distinctio in *exulem culpabilem* atq; *inculpabilem* s. *innocentem*: illum ita dicimus, quia sibi, ut homo, calamitatem, istam suâ culpa accersivit: quò etiam referri possunt, qui *inidonei* erant, atq; *incapaces* illorum beneficiorum, quibus sunt privati, remoti autem *nihilominus exulant* inter alios peregrinantes & victum sibi quærentes.

§. 3. *Formam exiliorum* ponimus partim in *privatione*, partim in *actione*, partim in *passione*. *Privatur* enim homo suo officio, possessione atq; civitate suâ: dein necessario sequitur *emigratio*, *peregrinatio*: inde *paupertas*, interdum *ignominia* atq; *contemptus* aliaq; incommoda multa quasi comites peregrinationis; uti rectè superius Seneca annotavit §. 4. section. i. Hinc tres quasi *gradus exilii* exoriuntur, quorum primus *exilium inchoat*, secundus illud *continuat*, & tertius *consummat*. Ex hac formâ variæ exiliorum nascuntur distinctiones. *Ratione graduum*, utpote *formæ intensivæ* *exilium* aliud est *inchoatum*, aliud *consummatum*. Quando homo officio suo atq; possessione propriâ privatur, etiam si maneat in loco, quæ de ejectis affirmare non licet; tamen

men hac ratione non exiguum exilii fundamentum posuit: hoc deinde posito exilium quasi exstruere continuat emigrans, atq; conficit paupertatem aliaque incommoda patiens. Hoc in casu eleganter dicimus: das Elend bauen. Ubi non incongruè possemus dicere aliud exilium minus, aliud medium, aliud verò maximum: ita ut illud minus sit, quando Abraham mandatum emigrandi è Chaldeà accepit: medium, quando jam in viâ ob morbidum Parentem (ut Lutherus explicat) terram Canaan petens detinetur: & fieri videtur maximum, quando jam fame, odiis hominum aliisque infinitis malis divixatur. Ratione loci, utpote formæ extensivæ, duplex constituitur exilii genus: aliud oritur ex interdictione certi loci, & potest dici exilium vagans, quò multabatur Cain è patria ex terminatus in Nod. h. e. vagatione versans: aliud vero oritur ex interdictione omnium locorum præter unum, quæ est relegatio ad certum locum, qualè perpessi sunt apud Romanos deportati, Et Evangelista Johannes in pathmo. Ratione temporis, utpote formæ protensivæ exilium aliud est temporaneum, quod ad tempus durat: aliud perpetuum s. æternum, quod sine caret: illo relegati apud Græcos per ostracismum decennali; hoc verò multi deportati apud Romanos puniebantur. Interdum duæ formæ, si non omnes, concurrunt.

§. 4. Formæ atq; materiæ respectu conjunctim sumtæ aliq est exul materialiter, alius itidem formaliter consideratus: hic est, in quem formæ jam introducta est; ille verò, qui facile exul fieri potest: hic actu exul est; ille verò potentiâ. De hac distinctione agit Dominus Lutherus noster in cap. 4. enes. ubi dicit de exilio Cainitico: Es gehet unß/die wir das H. Evangelium predigen und die Leute lehren/eben so/wie den heiligen Aposteln: denn wir haben keinen gewissen Sitz/und müssen entweder im Elend herumziehen/oder doch unß des alle Stunden versehen.

§. 5. Externe ut supra dictum, exiliorum cause itidem sunt duæ: efficiens nempe & finalis. Hinc itaq; jam quænam sit efficiens, quæ itidem finalis causa, nobis considerandum occurrit. Deum autem esse causam exiliorum principalem nemo inficias ibit, quem non fugit, exilia esse pœnas atq; calamitates. Id quod Spiritus Dei Et. 45, 7. innuit dicens: Qui lucem creo, & gigno tenebras

nebras, qui pacem dono & mitto malum. Ego sum Jehova, qui ista omnia perago. Quapropter quærit Propheta Amos c. 3. v. 6. dicens: Annon etiam malum est; in civitate, quod Dominus non faciat?

§. 6. *Movens causa*, quæ Dominum Deum nostrum ad calamitatem hancce imittendam *impellit*, est partim gratia atq; misericordia, partim *justitia* ipsius, eaq; amoris affectu *temperata*, tanquam causæ internæ: partim *peccatum hominis*, tanquam causa externa: istud enim sive contra primam, sive secundam tabulam cōmittatur, *Dei justitiam* ad puniendos homines *commovet atq; impellit*. Hinc *exilium* aliud est *gratiosum*, aliud *calamitosum*: illud respicit ad *gratiam* atq; *amorem*; hoc vero ad *iram Dei*. Gratia erat Dei non ira, quando Josephum cum Christo, Abrahamum cum suâ familiâ in exilium mittebat. Erat exilium *probationis*, non *vindicationis*. Distingvendum etiam hîc est inter *justitiam Dei temperatam*, & *peccatis adequatam*: illa, non ista hîc loci consideratur. Hujus sc. externæ moventis causæ respectu *exilium* aliud est *justum*, aliud *injustum*: *injustum* ratione Dei nullum est, quia *justus est Dominus & omne judicium ejus justum* Ps. 119; sed quando *injustum* appellatur, est tale respectu hominum, qui aliquem in exilium ejiciunt. Distingvendum etiam hîc est inter *causam remotam & proximam*, inter *communem* s. *alienam & propriam*: multi exilio plectuntur non tam ratione hujus, quàm illius causæ h. e. propter commune viventium, & remotum paternum peccatum, etsi omnes propriâ culpa planè liberari non possint. Et tales exules erant S. Patriarchæ in V. & Christus cum Apostolis in N.T.

§. 7. *Instrumenta*, quibus Deus ad exilia exeqvenda utitur sunt l. *personalia* l. *realia*. *Personæ*, quæ pœnam illam exseqvuntur sunt sive *bonæ* sive *malæ*. *Bonæ* sunt Dei fideles ministri, angeli atq; homines, tam *politica*, quàm *Ecclesiastica* conditionis. Sic (si Dominum Lutherum audire velimus) Deus mediante Melchisedeko Abrahamum in exilium vocavit & mediante Adamo Cainum expulit. *Mala instrumenta* sunt *diabolus*, & *homines*, *perversi*, *tyranni*, *heretici*, *hostes publici & privati*. Respectu personarum exilium aliud est *gratiosum*, aliud *peccaminosum*: illud est

1403

est personarum *bonarum*, hoc verò *malorum*: illud est ministro-
rum *DEI*, hoc verò *diaboli*: illud *Dei gratiam*; hoc verò *iram* i-
pſius meretur. *Realia* instrumenta sunt multa utpote *verbum*,
DEI, *mandata divinâ & humana tam generalia quàm specialia*,
bellum fames, ira, odium, conscientie testimonium &c. Horum ra-
tione *exilium* aliud datur *coactum* s. *violentum*; aliud verò *spon-*
taneum atq; liberum. Dicimus a. *coactum* illud non ratione *vio-*
lentie interne, cum in cruce ferenda semper accedat homini lu-
cta spiritus atq; carnis; sed *ratione violentie externe*, quæ fit mo-
tu & mandato externò. Distingvendum etiam hîc est inter
mandatum directum & indirectum: speciale atq; generale. Licet
conscientiosi non semper habeant *mandata specialia atq; directa*
emigrationis; sufficit tamen quod habeant *mandatâ generalia atq;*
indirecta. Hinc odium aliud est *expressum & publicum*; aliud v.
fucatum, simulatam tectum atq; privatum: expulsio s. *ejectio* alia est
expressa atq; directa; alia verò *obliqua atq; tacita*, illa sunt *tyran-*
norum; hæc verò *hypocritarum*.

§. 8. *Finem pro diversitate personarum in actione de exiliis*
concurrentium diversum etiam constituere debemus. Aliud *in-*
tendit Deus, aliud *diabolus*, aliud homo *tyrannus atq; hereticus*,
aliud ipse *exul*: Hoc constat ex verbis Josephi ad suos fratres di-
centis: *Nolite cogitare, me irasci vobis, quod me vendidistis: nam*
propter vitam vestram me Deus huc premisit. Vos cogitastis mala
de me; sed Deus in bona convertit, ut faceret, sicut jam patet & con-
servet multos homines Gen. 45. v. 5. seqq. c. 50. v. 20. *Finis DEO* sem-
per est *bonus & intendit principaliter gloriam suam salutemq; ho-*
minis, qui finis principalis atq; ultimus dicitur, cui subordinatur
medium, ad istum ducens, ut nimirum homo *pœnitentiam* a-
gat, & *bonitatem Dei* vel etiam *vias ipsius mirabiles agnoscat*: hinc
hominem *affligit, probat*, atq; rursus *beneficiis recreat*. *Finis a.*
diaboli est *afflictio & iracunda perturbatio* hominis, ejusdemq; ve
perditio tam æterna, quàm temporalis, suiq; *regni propagatio*; id
quod etiam homines pessimi intendunt. Distingvendum a.
hic est inter *intentionem ex malitiâ & ex ignorantia*; Licet hostes
veritatis id quæ diabolus intendit semper non faciant scientes
B atq;

atq; directè ; tamen istud faciunt ignorantia tum vincibili, tum invincibili atq; indirectè.

S. 9. *Finis exulium* fugientium est tum *redemptio vitæ corporalis & spiritualis*, tum *conscientie male evitatio* vel *emendatio*; *bona a. recuperatio* atq; *conservatio*, tum amor in verum Dei cultum atq; vitæ æternæ possessio. Et hic quidem est *finis exulis ultimus* atq; *principalis*. *Intermedius* autem est, qui huic subordinatur, atq; eundem adscendit diligens *Dei invocatio*, *peccatorum agnitio*, *piorum hominum consociatio*, quotidiana cum iisdem *conversatio*, *submissio* & *paupertatis levamen inquisitio*. Respectu hujus finis est *exul alius resipiscens*, alius est in *peccatis perseverans*: illius exemplar est David; hujus v. impœnitens atq; desperans Cain. Distingvendum hinc quoque est inter *exulem virtuosum & malitosum*: inter intentionis bonæ amatorem, atq; inter nebulosum simulatorem. *Nebulones* sunt, non exules hoc respectu, qui sub religionis prætextu ad veram ecclesiam perveniunt, ad tempus pietatem simulant, pios homines defraudant, & *ad castra adversariorum redeunt*, quales nostrò seculò D. Schobartus & L. Fromme.

SECTIO PROBLEMATICA.

QVÆSTIO I.

An S. Patriarchæ in V. & S. Apostoli in N. T. exules propriè loquendo sunt vocandi atq; habendi?

Omniò si non semper *formaliter*, tamen *materialiter* propriè loquendo exules fuere: quia illis & *nomen & definitio exilii* propriè sic dicti aptissimè *convenit*. De *Apostolis* expresse fatetur D. Paulus I. Cor. 4. v. 10. 11. Nos *Apostoli* contemti ἀσάθῆμεν, non habemus fixam sedem: quasi dixisset: Quod Christus nobis Matth. 10. prædixit, nos *persecutiones atq; contemptus perpeffuros & à civitate ad civitatem fugituros, exulatueros esse, hoc jam experimur*. De S. autem Patriarchis Divinus codex satis historicè loquitur, quomodo loca atq; sedes suas ob invidiam atq; odium vicinorum, atq; ex mandato Dei mutaverint. *Exilium Abrahami*
modò

modò erat *voluntarium, modò violentum*. E chaldeâ egreditur patria sua in Palæstinam mandato divino, aut sicut Lutherus vult persuasum Melchisedek: inde fames eum pellit in Ægyptum; sed hinc relegatur ab Abimelecho speciali mandato atq; in terram Canaan redit. *Jacob* primò vitam suam exilio viginti annorum salvare, dein rediens peregrinari in ipsa patriâ odio Siche- mitarum, ac denique in Ægypto vitam finire cogitur. Egregiè de illis patriarcharum exiliis atqve peregrinationibus Dominus *Lutherus* qui totus noster est, in exegesi suâ in genesin differit, quem videre licet.

QVÆSTIO II.

*An Jacob propriâ, an verò culpa alienâ exulare
necessum habuerit?*

Sensus quæstionis est, num *Jacob* mendaciò atq; fraude usus fuerit, benedictionem & primo genituræ confirmationem ab *Isaaco* recipiens, quando simulavit se esse *Esavum*, ideoque in exilium missus fuerit. Prolixissimè hac de quæstione Magnif. Dn. noster *Calovius* in Gen. c. 27. p. 1. c. 53. seqq. disputat in suo commen- tar. ad hunc locum, ubi multas easdemque diversissimas senten- tias allegat *quasdam* *Jacobum* cum *Rebeccâ* accusantes, quales *Calvini* & aliorum: *quasdam* probantes & peccatò absolven- tes, quales *Origenis*, *Chrysostomi* *Cassiani*, qui valere interdum mendacio sc. officioso uti instar hellebori: *quasdam* modò excu- santes non ad totum, sed ad tantum. Nos cum eòdem atqve *B. Gesnero* postremam sententiam eligentes distinguimus inter rem ipsam, & rei acquirenda modum. Probanda omninò *Rebecca* cum *Jacobo*, quod jus primogenituræ, *Jacobo* tum promissione Dei, tum emtione ab *Esavo* concessum, defenderunt, magnificerunt, ac ejusdem plenarium usum acquirere laboraverunt; sed processum atqve modum acquerendi minimè probare valemus. Non n. facienda essent mala, ut inde evenirent bona. Quod a. *Rebecca* cum suo *Jacobo* malè processerint nec adeò mendacio atq; frau- de omni absolvi possent, multis tum rationibus, tum testimo- niis, probare conatur *Vir Magnificus* l. c. Itaque licet ratione *Esavi*, injustum atqve culpabile hoc exilium meritò dicatur, tamen

ratione DEI atq; Isaaci Patris satis justum habetur. Ac etsi processus iste exilii causa dici non posset; occasionem tamen eò Rebecca atq; Jacob ad illud dederunt. Hoc itaq;ve exilium tam propriâ quàm alienâ culpâ sibi accersivit Jacob. Quod verò reliqua exilia, quando in patriâ rediens à Sichemitis exsilire, & demû in Ægyptum abire coactus est, hoc adscribendum tam filiis suis, quàm incolarum Cananæ terræ communi peccato: etsi ob polygamiam suam non omni excusatione dignus occasionem etiam exilii Sichemitici dederit.

QVÆSTIO III.

An Patres in exiliis suis mendaciis, dolis atq; fraudibus (ut alii loquuntur) utentes sint probandi atq; imitandi?

Dicitur hîc de eo, quod *Isaacus* atq;ve *Abrahamus* uxores suas inter peregrinos dixerint *suas sorores*: quod *Jacob* arte in Mesopotamiâ *magica & dolo* contra *Labanum* usus fuerit: quod *Israëlitæ* Ægypto exeuntes aurum incolis sub prætextu mutuationis abstulerint: quod *David* simulationibus coram *Abimelecho* in *Nobe* & rege *Achis* in *Palæstinâ* usus fuerit. Duo a. præprimis quæstio illa involvit: primò *an peccaverint Patres* h. e. an dolis, mendaciis fraudibus strictè sic dictis usi fuerint? & secundo, *an sint imitandi?* Variè hac de re disputant auctores pro & contra, ex quibus quia prolixius hic agere nobis nec licet nec lubet, respondemus brevissimè. *Isaacum* quidem suò modò defendere possumus. *Abrahamum* a. à Dn. Luth. in Gen. c. 12. informati magis probamus, quod istud tanquam *Pater credentium*, non ex incredulitate; sed singulari prudentiâ atq; providentia Dei instructus fecerit in fide. Dicebat veritatem disparatam, non negabat uxorem. *Jacobi* a. & *Israelitarum* praxis est ejusdem generis. Non usi sunt dolo; sed mediò à Deo concessò atq; mandato, ut laborum suorum ab iniquis dominis recreationem haberent. *Davidis* facta sunt singularia atq;ve heroica & tempore necessitatis facta, id propter omni peccato ab *Osiandro* & aliis meritò absolvitur. Ob actionem in *Nobe* gestam excusatur ab ipso Christo Matth.

12. ut

1907

12. ut taceam eã de re Psalmum 52. à Spiritu S. compositum. In *Palestina* a. cum insaniam simularet, composuit duos egregios psalmo s trigessimum septimum scilicet, & quinquagesimum sextum; quæ minimè potuisset peragere, in peccatis existens, quia Spiritus Sanctus non habitat in corde malo. Quicquid a. fuerit, tamen ejusmodi facta *omnia miranda sunt, non rimanda, nec imitanda: non exemplis, sed regulis vivendum.* Elegantissimè supra allegatus Magnificus Præceptor noster l.c. p. 112. D. Lutheri verbis quando in specie de Jacobi polygamiã dicit, hac de materiã discurret dicens: *Sæpe vir heroicus; quem Deus singulari numine afflavit, perfrumpit, & frangit regulam; sed non relinquit post se exemplum. Moralia, jura, leges sunt servanda, & exempla sequenda; sed in heroicis nulla est consequentia, nullum exemplum valet, nisi per omnia simile.* Si fueris similis Jacob, si talis casus, talis occasio atq; necessitas incidit, tum & tibi licebit, quod Jacob licuit: si non per omnia similis Jacob, standum tibi erit in lege, & moribus communibus. Itaq; hæc exempla sic tractanda sunt, ut maneant moralia integra, quæ sunt sequenda: & heroica spectemus ac admiremur non imitemur. *Paulus viperam harentem manibus in ignem conjecit. Thue du es ihm nach.* Hactenus Dominus Calovius ex Luther. Interim hoc morale ejusdem viri hactenus sæpe citati ad locum de Abrahami simulatione p. 821. l.c. annotatũ observandũ: *Tacere licet veritatem quandoq; cum nec gloria Dei, nec salus publica vel proximi aut officii ratio postulat, ne taceamus, neq; necessitatis aut charitas vel æquitas testimonium nostrum requirit, utpote coram tyranno l. peregrino. Falsum autem dicere non licet, nec æquicatione uti, aut reservatione mentali, ut falsum inde apprehendatur. Id quod contra Jesuitas aliosq; pseudo-politicos notamus.*

QVÆSTIO IV.

Num Caini exilium fratricidio adæquatum & ex Justitiæ divinæ rigore ortum?

Quæritur, an Cain cum suis posteris exiliõ aternõ s. damnatione aternã ob fratricidium multatus fuerit. Negamus: quia exilium illud ex justitiã cum amore temperata ortum. Probamus (1 quia nullibi legitur, Cainum cum posteris suis damnatum (2 quia

B 3

excon-

excommunicatio ecclesiastica, quã legitur Cain punitus, non eum in finem fit, ut quis damnetur, sed ad interitum carnis, ut salvetur Spiritus 1. Cor. 5. (3 quia hinc multa misericordie divinae signa spectantur, ut cum D. Lutero l. c. loquar: *Concedit ei Deus uxorem sororem, dat ei saluum conductum, ne occidatur, & quod maximum expressè Deus innuit illum non esse æternum perituum si convertatur, quia dicit: Maledictus in terris non in coelo &c.* Ad quæ verba Megalander noster: *Es stehet dabey auf Erden/ welches eine Zinderung ist des greulichen Zornes. Denn so er gesaget hätte im Himmel/so hätte er ganz uñ gar alle Seligkeit seinem Geschlecht genommen &c.* Quod si autem perit Cain, non factum tantum ob fratricidium; sed potius ob incredulitate formaliter, & desperationem.

QVÆSTIO V.

An Judei, qui hodie in toto orbe dispersi vivunt, exilium ob propriam, an verò alienam remotam culpam patientur?

Quod Judei illi exules sint, si non formaliter tamen semper materialiter certò respectu, de eò nemo dubitabit, quem non latet, eos facile audire posse mandatum: abite, exite. Sed de eò maximè dubitari potest, an justè illam pœnam luant, quia potius ob culpam prædecessorum suorum, quam ob propriam istam pœnam luere videantur. At respondemus, eos tam sui quam prædecessorum atque patrum suorum causa istam pœnam justè luere. Sui enim causâ, quia Patres suos, qui Filium DEI cruci affixerunt, excusant, laudant atq; sic qui peccato communicant, meritò etiam pœnae participes redduntur: ne dicam eos pertinaciter in peccato & blasphemis contra christum perseverare. Suorum patrum causâ a. mutantur istò exilio & captivitate perpetuâ, quia illi dixerunt: Sein Blut komme über uns und über unsere Kinder/ut Dominus Lutherus vertit.

QVÆST.



QVÆSTIO VI.

Num & illi, qui à Pontificiis, Reformatis atq; Syncretistis; sine expreso mandato atq; remotione, spontaneò motu ad nos perveniunt dici possint propriè loquendo exules?

Quidni? Convenire videtur illis requisita exulis propriè ita dicti si non omnia, tamen præcipua: privantur suis officiis, atq; patrimonii, exsiliunt, fugiunt persecutionem hostium, habent bonum finem, ut vitam redimant & conscientiam bonam lucrentur. Sed nemo eos expulit, ideò honestum exulis titulum non merentur? Resp. (Innegando consequentiam, quia formalem exilii rationem in externa violenta q; expulsionem mandato aliquo speciali factâ non ponendam esse hætenus satis cum rationibus tum exemplis comprobatum. Nititur enim falsâ è vulgi ore hypothesis. (2 Distingvimus inter ejectionem s. expulsionem expressam specialem atq; directam: & inter eandem mutam generalitèr obliquam & indirectam. Licet hostes non semper ut Abimelechus Isaacum, expreso mandato violenter pios solò expellant & officiò: tamen iisdem puteos vocationis atq; sustentationis obstruunt, Gen. 26, 17, 18. ut abire necessum habeant. Sed debebant prius revocare & remotionem expectare? R. Neg; hoc simpliciter necessarium exilio. Nam experientia nos satis edocuit ejusmodi viros, qui istâ παρρησίᾳ usi fuerint non in exilium dimissos, sed in perpetuum carcerem transportatos & martyriò coronatos fuisse. Id quod facile probari posset, nisi exempla odiosa & prudentia aliud svaderent. Qvis autem se ipsum martyrio offerre sibiq; periculum accersere conabitur? Revocatio utpote pœnitentiæ argumentum omninò necessaria. Sed processus revocandi ab adversariis præscriptus non est necessarius. Distingvendum inter revocationem publicam & privatam: verbalem & realem: illa adeò necessaria non est, sicut ista. Quin realis atq; cordialis revocatio præferenda est hypocritice verbali, quæ orthodoxos sæpe fefellit. Distingvendum etiam hîc esse arbitror inter revocationem in medio heterodoxorum, & in gremio orthodoxorum: illa videtur singularem παρρησίαν aut audaciam; hæc



hæc verò singularem prudentiam præ se ferre. Sed fuga præsupponit persecutionem? R. distinguendo inter persecutionem diaboli malæ, conscientia internam: & eam hominum externam: item inter persecutionem animæ l. vitæ spiritualis, & corporis l. vitæ temporalis: inter persecutionem hostium cæcæ atq; visam. Ubi hæc non habet locum, ibi certissimè illa semper invenitur inter adversarios, qui vel cæci atq; ignorantes sæpe cum Sodomitæ pium Lothum insectantur. Quod si itaq; occisio corporis fugienda multò magis animæ. Si vita corporalis tuenda multò magis vita spiritualis.

QVÆSTIO VII.

Sed annon illi, qui ita sponte officia sua deserunt conscientiam suam ledunt?

Non quæritur de illis, qui ab adversariis removentur, nec qui v. gr. apud Pontificios ad tempus relegantur; sed qui inter eosdè Sacrà scripturà & scriptis orthodoxorum lectis ad sanio rem mentem redeuntese sese aut clàm abducunt, aut, ubi licet, palàm abeunt, de iis meritò quæritur, an conscientiam suam non lædant? major enim videtur lucta carnis & spiritus locum fixum atq; officium spontè deserere, quàm removeri h. e. mandatum abeundi accipere. Sed quia Casistæ ipsi, quid singulis faciendum in hoc casu sunt consulendi, nos breviter in genere statui mus, tales homines conscientiam salvare, non lædere. Probamus (1. quia nemo bonâ conscientia potest communicare Papismo Calvinismo aut Syncretismo (2. quia Deus expressè mandat, ut separemus nos ab iis, dicens: *Nolite jugum trahere cum infidelibus; sed exite & separate vos ab iisdem.* Ac (3. gratiam suam promittit dicens: *Et ero pater vester, vos autem filii mei eritis.* I. Cor. 6, 14. 17. Ut taceam (4. eos spetialem vocationem cum Abrahamo accepisse, dum ritè orantibus bonos motus Spiritus Sanctus excitat in cordibus illorum, atq; consilia emergendi suppeditat. Itaq; bonum opus peragunt & optimè sibi consulunt, qui cum Abrahamo & Lotho obedientiam DEO præstant, atq; è Chaldeâ hæretica & Sodoma perdenda exeunt cætera DEO committentes. Omnia tamen prudenter facienda & aliter inter tyrannos, aliter inter hypocritas procedi posse existimamus. QVÆ

An omnibus æquè exulibus benefaciendum?

Omninò. *Habemus enim expressum Dei mandatum, ut omnibus beneficiamus, præcipuè autem consortibus fidei; Gal. 6. v. 10. ut diligamus non tantum amicos cum ethnicis & publicanus; sed etiam hostes nostros cum Christianis Matth. 5. v. 43. seqq. Objicis; Sed inveniuntur multi malitiosi inter illos nullis beneficiis digni, qui hac ratione deteriores redduntur? Resp. Quis potest corda hominum introspicere, nisi Deus? Dus autem, etsi sciat, qui boni, qui itidem mali, tamen hoc non obstante, omnibus æquè lucem aliàque beneficia concedit. Itaq; pessimè facit Nabal seq; & suam totam familiam magno periculo exponit, quando Davidi ac exulantibus ejusdem servis viaticum denegare animò avaro contra variis convitiis eosdem morosè proscindere audet, quasi essent servi fugaces atq; vagantes, quia non sint sibi satis cogniti. 1. Sam. 25, 10, 11. Interim tamen omninò prudentiâ hîc utendum, ut malos corrigamus atq; emendemus; bonos autem recreemus.*

QVÆSTIO NONA.

Num etiam Causatores mali exiliorum unquam profiteantur, se causam alicujus exilii extitisse, & exulem læsisse?

Nunquam aut rarissimè, idq; hypocriticè. Aut enim cum Saule qui Davidem persequebatur, ad tempus pœnitentiam simulanti. Sam. 24. 17. seqq. c. 26, v. 20, 21. singularem Dei providentiâ videntes. Aut cum Abimelech se coram Isaaco excusant dicentes; cum pace te dimissimus, nec tibi vim intulimus ullam Gen. 26, 29. id quod adhuc singulare ab iisdem beneficium prædicari videtur. Aut hominem miserum variis convitiis, mendaciis contumeliisq; proscindunt, omnem culpam in illum ipsum aut in alios revolventes, atq; si modò nævum quendam invenerint, ex musca Elephantum facientes. Illustre exemplum nobis hac de re suppeditat S. Athanasius vel decies ab hæreticis in exilium pulsus, de quo historiæ Ecclesiasticæ prolixè videri possunt.

C

QV. X.

147
 QVÆSTIO X.

An Deus cum Orthodoxis (quantum adscripta Polemica) Ecclesie ministris rectè dicatur causa exiliorum.

Accusantur plerumqve scripta ministrorum DEI polemica, & obliquè ipse Deus; miseri autem homines sese quantum possunt excusant. Hic itaq; quæritur, *an & ipse Deus, & fideles ejus ministri sint propriè loquendo causa exiliorum?* Ad hoc supponimus *nullum exilium esse malū morale*, nec sine providentiâ Dei evenire. Quid igitur obstat affirmare, sicut Deus providentiâ suâ immediatō influxu in omnibus pœnis atq; calamitatibus immittendis cooperatur, eum quoq; hinc *quod ad effectum & actiones effectivè concurrere.* Notanter dico quod ad effectum & actiones: Nam *peccata*, qualia sunt hæreses & persecutorum odia, quæ Deus permittit, *non sunt effectus; sed defectus: non actiones; sed privationes*; ideoq; eorū autor & causa Deus esse non potest. Sed propterea Deus non est accusandus, qui ubiqve justus est. Quod a ministris orthodoxæ Ecclesie attinet, *illi non ut Deus hinc concurrunt, nec intendunt exilia hominum; sed tantūmodo eorundem salutē quærunt, ideoq; præter intentionem eorum, quod fit, accidit: Quin imò quæcunqve isti hinc peragunt, omnia non auctoritate sua; sed Christi Domini sui tanquam principalis faciunt: singula itaqve Deo (quantum licet) adscribenda, nihil ejus servis: quibus mandata sui Principis exsequenda, etiamsi totus mundus corruere debeat.* Cæterum quid murmurant homines in vita? quilibet marmuret contra sua peccata Thren. 3, 39.

QVÆSTIO XI.

Num Dn. Lutherus in pathmosuo existens, propriè exul nominari possit?

*Nota est historia (quam inter alios describunt Altenburger-
 ses*

14-13

ses T. I. p. 929.) de Dn. Luthero nostro, quod ille *rediens à VVormatiensi colloquio* in viâ ob persecutionem Papistarum & edictum quoddam contra eum Imperatoris atrocissimum, à quibusdam Nobilibus Saxonis, jussu Serenissimi Electoris *in custodiam arcem VVartenbergensem scilicet, deductus*, ibique per annum ferè inclusis fuerit. De eò hîc controverti & quæri potest, an inde propriè loquendo exul nominari possit? Prolixius atque accuratiùs hanc quæstionem hîc pertractare nec licuit, nec libuit, cum ob spatium à Typographo paginae relictum accidètaliter materiae inserta. Per trâscursum itaq; reliqua ad examen publicum differentes respondemus controvertendo. Possunt negativam amare, qui in eò rigore exulem volunt definiri, ut sit persona ab hæreticis ob veram religionem officio s. possessione & Patriâ ejecta, dicentes, Lutherum non ab hostibus, sed amicis eò remissum, nec ab officio remotum extitisse. Affirmantes stabilire possunt sententiam suam, partim à loci denominatione, quod arx illa pathmus ab exilii S. Johan. Evangel. loco sæpe nominetur; partim à natura exilii: Licet enim non immediatè ab hostibus Ecclesiæ; tamen propter atrocem eorû persecutionem eò quasi relegatus & patriâ & officio carere, & semper metuere debuit S. Vir, ne hostibus traderetur immolandum. Nos magis ad posteriorem sententiam inclinantes de Luthero ex Lutherô loquimur; *Es gehet unß / die wir das H. Evangelium predigen und die Leute lehren / eben so / wie den heiligen Aposteln &c.* ut supra Sect. Pragm. §. 4. Erat exilium gratiosum non odiosum aut calamitosum: Gratia Dei & Serenissimi Electoris, non iræ adscribendum: exilium honestum, non molestum.

QVÆSTIO XII.

An Exilium sit vocabulum turpe & ignominiosum.

Ad hanc quæstionem, quia accuratiùs ad politicam pertinet, unica voce respondemus negando distinguentes inter exilii essentialè & accidentalè; atque sic colophonem discursui nostro addemus. DEUS Opt. ter. Max. hostes Ecclesiæ confundat; pios autem & sinceritatem religionis amantes exules gratiosè defendat; iisdemq; benefaciat.

CUI SOLI GLORIA!

EXul erat vates Jetræus, & incola mundi,
Et dolet exilii tristia fata sui.

Tuq; etiam exulibus describis fata modumq;,
Materia ingenio est digna, *Krügere*, tuo.

JOHANNES MEISNERUS D.

h. t. Decanus.

EXilium quondam Christus sic pertulit infans,
Ut populus Christi sæpius Exul agar.

In populo Christi simul exulat usque fidelis,
Si corpus patitur, sic mala membra ferunt.

Talia KRUGERUS meditatur; *amabilis Exul*,
Et Domino Vitæ mittit adusque vias.

Exilio faveat Dominus, mala tristia mutet

Ecclesiæ, atque piis gaudia certa paret!

JOHANNES Deutschmann / D.

Præses.

Subjectum Exilii dum sistitur Hungarus erro,
Materiam Exilii hinc pagina docta capit.

Exilium tibi Jova poteus defendat: Asylum

Sed CRUGERE diu Patria cara duit,

Ita vovet

SAMUEL POMARIUS, SS. Thol. D.

& P. P. Extr.



99 A 69 12

ULB Halle 3
002 721 678



Sb.

VD 17

Recht a. Komm.





1395.

~~XXXV~~. 12

I. N. J.
DISPUTATIO
THEOLOGICO-PRACTICA

De
E X I L I O,

Qvam
proprio Marte elaboratam
SUB PRÆSIDIO

V I R I

Summè, Reverendi, Amplissimi, Excellentissimi

DN. JOHANNIS Deutschmann /

SS. Theol. D. Consummatissimi ejusdemq; P. P. Ordinarium Celeberrimum Alumn. Elector. Ephorigravissimum

Dn. Patroni Præceptoris & studiorum suorum Promotoris maximi omnig. cultu honoris prosequendi in Academia

Wittebergensi


publico examini submittit

GEORGIUS Krüger /

Liberosa Lusatus

In Auditorio Majori

ad d. Augusti 1674.



Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

